



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

II. Markgraf Otto von Brandenburg vereignet auf Bitten des Abtes
Heidenreich von Walkenried dem Domstifte zu Stendal gewisse Hebungen,
am 21. Juni 1202.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

I. Markgraf Otto von Brandenburg verzeignet dem Kloster zu Richenberg eine Hufe Landes, welche er zu Astvelde bei Goslar besessen, im Jahre 1200.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto, Marchio Brandenburgensis, Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, quod petente Johanne preposito mansum unum, quem habuimus in Astvelde, cum omnibus attinentiis Richenbergensi ecclesie contulimus in augmentum sustentationis ibidem Deo sancteque Genitrici ejus Marie virgini servientium, quatenus per ipsorum fraternitatis et continue orationis confortium pro his presentis et future prosperitatis remunerationem a Domino consequamur. Ne igitur hoc nostre munificentie factum ulla in posterum obliturare possit oblivio, aut cujusquam malignitas attentet infringere, dignum duximus memoratam ecclesiam presentis pagine testimonio cum impressione nostri sigilli efficaciter communire. Actum Goslarie in aula regia, sub testibus, quorum nomina subscribuntur. Otto Comes de Walkenstein, Petrus Prepositus, Gerardus Capellanus, Albertus de Arnestene, Tidericus de Parchem, Henricus de Polchave, Rudolphus Dapifer, Henricus Pincerna. Anno incarnationis Domine MCC.

Heineccii Antiqu. Goslarief. lib. II, p. 200.

II. Markgraf Otto von Brandenburg verzeignet auf Bitten des Abtes Heidenreich von Walkenried dem Domstifte zu Stendal gewisse Gebungen, am 21. Juli 1202.

In nomine sancte et individue trinitatis. Notum sit tam futuris quam presentibus, quod ego dei gratia Otto secundus marchio in brandenburch, superne vite accensus desiderio, ecclesiam in stendale cum fratre meo in proprietate nostra construxi et canonicos ibidem domino servituros stipendiis assignatis institui, Quibus preter alia, que jam pridem indulsi, ad instantem petitionem dilecti nostri Heidenrici, abbatis in walkenred, tria talenta, que de domo mercatorum in stendale ex nostra collatione possident, et que eidem ecclesie

privilegiis romane sedis pro petitione nostra confirmata sunt, primos omnium annuatim excipere concessi. Preterea ut ab omni exactione tam nostra quam successorum nostrorum penitus immunes sint, prout ejusdem ecclesie privilegia jam pridem indulta et autentica continent, iterata sigilli nostri impressione, ut omne dubium imperpetuum tollatur, roboravi. Hujus rei testes sunt Herewicus cappellanus de brandeburch, Albertus scriptor, Comes Burchardus de manffelt, Theodericus de parchem, Johannes gans, Henricus pincerna, Arnoldus frater ejus, Conradus advocatus, Heidenricus de Oesterhusen et alii quam plures. Acta sunt haec anno dominice incarnationis M^o. ducentesimo II^o., data in Oesterhusen, XII^o. Kalendas Augusti.

Nach einer vom Prof. Dr. Gildebrandt mitgetheilten Abschrift des Originals im Universitäts-Archive zu Breslau.

III. Graf Adelbert in Arneburg, nachheriger Markgraf von Brandenburg, befreiet die Besitzungen, welche dem Kloster Jlfenburg am Brocken, zu Polkritz zugehörig, von allen Lasten, im Jahre 1204.

Ego Adelbertus, Dei gratia Comes in Arneburg, universis Ecclesie fidelibus in perpetuum. Noverit universitas fidelium tam presentium quam futurorum, quod consideratis et discussis motibus temporalibus nihil perpetuum, nihil salutiferum sit, perituri seculi lene et miserabile invenimus blandimentum. Unde stabilitatis alicuius solliciti edificare fundamentum, desideravimus participes fieri divini obsequii et orationum fratrum in Jlfenburg, Et quemadmodum avus noster Adelbertus pie memorie, Marchio in Brandenburg, bona eorum in Polkritz, ab omni iure, quo ei tenebantur, plenissime absolvit, ita et nos ad exemplum ipsius, ab omni jure, si quod erat, quo nobis teneri videbantur, bona eorundem fratrum in Polkritz plene et a qualibet prorsus absolvimus exactione. Nullam penitus Bedelli et officiales nostri rogandi, precipiendi sive sollicitandi ex parte nostra habeant auctoritatem, Nulla nobis sint ibi hospitia, nulla prorsus servitia; sed bona predictorum fratrum, sive culta, sive inculta, sive postmodum colenda, usibus eorum serviant penitus profutura. Ut autem hec nostra donatio rata et inconcussa futuris postmodum permaneat temporibus, sigilli nostri impressione roboravimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina subter annotata sunt. Rodgerus de Vivlinge, Gerhardus de Belitz, Teoricus Dapifer, Heidenricus et Adelbertus de Bortfelde, Alardus de Harhem, Henricus de Wontbusch, Johannes de Gifenschlage, Hermannus de Rorbeck, Volradus et Theodericus de Eckstede et alii quam plures. Anno Dominice incarnationis millesimo (du)centesimo et quarto conscripta a Godofredo, Curie nostre Cappellano.

Nach Beckmann's Beschreibung der Churmark Brandenburg V, I, VIII, Sp. 54. 55, wo aber statt ducentesimo quarto die Jahreszahl centesimo quarto steht.